





L  
DISPUTATIO  
De  
LOCUTIONE.

PUBLICI ET SOLENNIS EXERCITII  
gratiâ in inclytâ Argentoratensium Aca-  
demia proposita

à

MELCHIORE SEBIZIO IV.  
niore, Doctore & Professore  
Medico:

Respondente

M. PAULO THOMA AR-  
gentoratensi.



ARGENTORATI

*Excudebat PAVLVS LEDERTZ,*

ANNO M. DC. XXIV.



HANC

*Humilime devotionis*

*Arrham*

ILLUSTRISSIMI AC CELSISISSIMI  
PRINCIPIS AC DOMINI,

**DN. GEORGII GUSTAVI,**  
COMITIS PALATINI RHENI, DVCIS  
BAVARIAE, COMITIS IN Veldenz & Span-  
heim. Dn. mei Clementissimi, Literarum Me-  
cénatis incomparabilis,

F I L I O.

ILLVSTRISSIMO AC CELSISISSIMO

**DN. CAROLO LUDOVICO,**  
COMITI PALATINO RHENI &c.  
Domino meo Clementissimo,

*In studiorum meorum commendationem*

*Humilimo animo consecrare, &  
in memoriae*

F A N O

*Suspendere volui*

M. Paulus Thomas Argentoratensis.



## THE S I S . I.

**S**uperiori proximâ disputatione actum à nobis fuit de VOCE hominis IN ARTICULATA, quæ simplex est & nudus sonus, nihil certi significans. Nunc de ARTICULATA verba facere placet : quæ, ut ex lib. 2. de Animâ. c. 8. l. 4. de hist. an. c. 9. & l. 3. de part. anim. c. 1. colligitur, διάλεκτος καὶ ἐρμηνεία ab Aristotele vocatur : ἀπὸ τῆς διαλέγεσθαι : quod non tantum differere & disputare : sed etiā sermocinari & colloqui significat: καὶ τῆς ἐρμηνεύειν: quod propriè quidē interpretari & explicare : sæpius tamen etiam eloqui sonat.

2. Appellatur quoque λαλία, ἡ λαλέω : quanquam hæc vox quandoque in malam partem accipiatur ; & loquacitatem ac garulitatem denotet. Unde illud Plutarchi i. sypos. τολύτων οἱ οἰνόποιοι εἰσι, καὶ λαλίας ἀναίρεσι καὶ φρονήματος ηγεμονίκης κατατίμασσι. Et illud alterum : μέλις συμπλόματα τλεοντασμοὶ λαλίας.

3. Latini eam loquelandam, locutionem, elocationem, sermonem, sermocinationem, & orationem nuncupant.

4. Cæterūm etsi vox articulata inarticulatâ prior sit κατὰ τὴν ἀξίαν : 1. quatenus nobiliori inest subiecto : 2. quatenus inarticulatæ forma : 3. quatenus propter eam inarticulata facta : 4. quatenus animi sensa non confusè, obscurè, & imperfectè, ut inarticulata : sed distinctè, clarè, atque perspicuè profert : de inarticulata tamen priùs agendum erat : quia articulatam ordine doctrinæ & prioritate temporis præcedit,

5. Ordine quidem doctrinæ : quoniam sine præviâ vocis inarticulatæ cognitione, articulata, quæ illius est affectio, rectè explicari non potest.

6. Prioritate vero temporis : quia inarticulata vox articulatæ est materia : quemadmodum infrà ex l. 5. de gen. anim. cap. 7. dicemus. Deinde quia primùm vocem edimus : cùm scil. adhuc in cunis jaceimus : adultiores autem facti demum loquimur.

7. Sciendum vero, nos non de quavis oratione agere. No-

A 2 tum

cum enim ex posterioribus est analyticis, duplēcēt esse λόγον : aliū extēnum, ἔξω λόγον ab Aristotele, καὶ τροφορικὸν vocatum ; aliū internum, ἐνδιάλεκτον, τὸν εὐ τῷ φυχῇ ab eodem, καὶ ἔσω λόγον dictum : à Basilio autem ἐννοματικὸν : à Damasceno τὸν ἐν καρδίᾳ λαλέμενον : ab Epiphanio ἐμφύλον nuncupatum. Ille profertur ore, & propriè orationis nomen sibi vendicat : ac proinde nostri jam est instituti. Hic internas solūm cogitationes & conceptus hominis denotat : & à proposito nostro alienus est.

8. Nobile sanè ac præcellens thema est loquela ; adeò ut multis iisque eximiis encomiis à magnis viris celebretur.

9. *Plato* enim in *Timaeo* verborum effluxionem ministram prudentiæ, omniumque effluxionum optimam atque pulcherri-  
mam nominat.

10. *Plinius* illam animi explanationem appellat, quæ ho-  
minem à feris distinguat. *Lib. II. c. 51.*

11. *Galenus* *I. de manif. & obscur. motib. cap. 4.* scribit, non esse nobiliorem hominique convenientiorem actionem, quam ratiocinari & loqui.

12. *Lucretius* eam *I. 6.* animi interpretem nuncupat. Cui *Scaliger lib. I. Poët. I.* suffragatur : cùm sermonem animi portitorum esse dicit.

13. Idem *Scaliger exerc. 256.* inquit, rationem esse manum intellectūs : rationis manum orationem : orationis verò manum esse manum ipsam. Manum enim iussa facere: iussa obedire ratio-  
ni : rationem vim intellectūs esse. Rursus *exercit. eādem illud* Cardani placitum probat : quod natura hominem tribus armārit præsidiis : INGENIO ad inventionem necessariorum : SER-  
MONE ad auxilium : MANIBUS ad perfectionem eorum o-  
mnium, quæ vel ingenio excogitasset : vel sermone ab aliis di-  
dicisset. Addit autem, etiam JUDICIUM requiri.

14. Nam licet ingenium res inveniat : res tamen aut præ-  
postoræ, aut confusæ, aut falsâ specie intellectui fere offerunt:  
atque ad perniciem multa & ad salutem inveniuntur. Quasi,  
ait, impositum est JUDICIUM tanquam Prætor quidam, ad in-  
ventorum perpensionem : quæ est, ut ita dicam, mansorum veluti  
quædam ruminatio ad coquenda consilia.

15. Itaq;



15. Itaque oleum & operam non perdemus , si primūm  
materiam , formam , efficientem & finem locutionis paulò conside-  
raverimus diligenterius : deinde causas læsionum , sive vitiorum ejus  
perpenderimus.

16. Quamvis autem accurata & acroamatica locutionis  
tractatio ad Physicum pertinere videatur : ad Medicum verò exo-  
terica tantum : ut naturalem loquelandam conservare : amissam re-  
cuperare : vitiatam corrigere : & quid ex eâ in morbis conjicien-  
dum prædicendumque sit , scire queat : piaculum tamen , opinia-  
mūr , minimè erit , si limites paululùm agri nostri egrediamur :  
præsertim cum Physiologica Medicinæ pars , ex quâ hæc est dis-  
sertatio deprompta , Physicæ soboles sit , & particularis quædam  
Physiologia , solius hominis naturam explicans : ipseque Aristote-  
les in fin. lib. de Respir. dicat , etiam Medicos , ὅσοι κομψοὶ καὶ τερίσγονται  
& ut c. i. l. de sens. loquitur , φιλοσοφῶσσι τὴν τέχνην μελίουται , τὰ τε-  
πὶ φύσεως λέγειν.

17. MATERIA M ergò quod attinet , habet illa rationem  
subjecti . Subjectum autem apud Aristotelem triplex est : Ex  
Q u o : quod propriè ûλη nominatur : In Q u o : quod aliâs stra-  
tum , subjectum recipiens , & ὑποκείμενον vocatur : denique C I R-  
C A Q u o d : quod à Græcis ἀντικείμενον , objectum , & subjectum  
occupans à quibusdam neotericis dicitur .

18. S V B I E C T U M , sive MATERIA M Ex Q u a locu-  
tio propriè non habet : quemadmodum neque vox inarticulata :  
ut disp. de Voce th. 57. monuimus . Analogicam tamen illi Aristote-  
les l. 5. de gen. an. cap. 7. tribuit : eamque ait esse vocem .

19. Hanc enim loquela informat : quia eam articulat , ut  
certi aliquid significet . Hinc quibus vox deest , inquit Gal. 4. loc.  
aff. cap. 6. iis etiam loquela deesse solet .

20. S V B I E C T U M C I R C A Q u o d occupata est lo-  
quela , sunt res omnes , quas homo intra se concepit ac cogita-  
vit : eæque aut divinæ : ut theologicæ : aut humanæ : ut scholasti-  
cæ , politicæ , & œconomicæ .

21. S V B I E C T U M I N Q u o , Homo est . Sermonem e-  
nim nulli alii animali , præterquam homini , concessum esse , Aristoteles

teles 4. hist. an. c. 9. l. 5 gen. an. c. 7. l. 1. polit. c. 2. l. 7. polit. c. 13. & sect. 11.  
probl. 55. docet.

22. Causa est: quia illius solius est loquela, cuius est mens  
& intellectus. Est enim hæc index & interpres mentis, & nuncia  
cognitionum animi. Unde à Damasceno ἀγγελονηματι νun-  
cupatur. At solius hominis mens est atque intellectus. Solus er-  
gò homo loquitur.

23. Minor est Aristotelis l. 1. hist. an. c. 1. ubi dicit, unum ho-  
minem ex numero omnium animalium vim habere cogitandi &  
reminiscendi. Est experientiæ, quæ docet, nullum animal, præter  
hominem, intellectus exercere operationes: hoc est, apprehende-  
re simplicia: componere & dividere: & ratiocinari. Est rationis:  
quia intellectus hominis est forma, quâ homo ab aliis animalis  
speciebus distinguitur.

24. Objicies, neque omnes, neque solos homines loqui.

25. Non omnes: quia Aristot. l. 4. hist. an. c. 9. & l. de sens. c. 1.  
scribit, qui surdi jam inde ab ortu naturæ sunt, eosdem etiam mu-  
tos esse. Vocem ergò emittere posse: loqui verò non posse. Idem  
4. hist. 9. etiā pueros linguæ impotentes dicit. Et Plinius l. 6. c. 30. re-  
fert, gentes esse, quæ ore & linguâ careant: quæ voce destituantur:  
quibus ob id pro sermone nutus motusq; sit membrorum.

26. Non solos: quia & Deus in sacris loquutus perhibe-  
tur. Locutos & angelos atque diabolum eadem testantur. Imò  
serpentem quoque alloquitum primos parentes, & asinum verba  
effudisse in herum suum Bileamum notant.

27. Livius decad. 1. l. 3. & dec. 3. l. 4. bovem loquutum narrat.  
Gesnerus l. 3. de anim. qui est de Avibus, c. de Lusciniâ, lit. C. miras re-  
censet historias de lusciniis hominum sermones imitatis. Aristote-  
les l. 4. de hist. an. c. 9. facultatem conficiendæ locutionis iis tributam  
avibus scribit, quibus lingua mediocriter est lata & tenuis. Quod  
ipsum 2. part. an. 17. repetit: & insuper addit, aves linguâ uti etiam  
ad sui sensus mutuam ἐργάζεται, interpretationem: sed alias plus  
aliis: ut in nonnullis vel usus docendi mutuus esse videatur. Lib. 8.  
hist. an. 18. Psittacum ἀνθρωπογλωττον appellat: & loquaciorem ait,  
cum vinum biberit. Hinc illud Martialis:

Psittacus à vobis alierū nomina discam:  
Hoc per me didici dicere, Cæsar ave.

Et illud alterum ejusdem de Pica:

Pica loquax certà dominum te voce saluto:

Si me non videoas, esse negabis avem.

28. Et quidni bruta, maximè verò quadrupedia, loquerentur, cùm & vocem edant: & locutionis organa, fauces, linguam, dentes, labia, & palatum, habeant: &, quemadmodum non solum magnorum virorum testimonia planum faciunt: sed etiam solertes actiones, quas exercent, & mirabilia opera, quæ conficiunt, monstrant, ratione & intellectu sint donata?

29. Porphyrius sanè recenset, Melampoda & Tiresian, & ante hos Apollonium Thyaneum brutorum colloquia intellexisse. Plinius verò l. 10. c. 49. & l. 29. c. 4. dicit, Democritum & Melampoda avium cantus fuisse affsecutos.

30. Sed facilis est ad hæc & similia argumenta responsio.

31. Nam surdos quod attinet, muti illi quidem sunt, & ἐνεργεία, sive actione loquendi, destituuntur: ipsam verò δύναμιν, τεφυκότητα & ἐπιθέτητα adhuc habent: quæ etiā in actū deducetur, si impedimenta removerentur. Est enim mutitas loquelæ privatio. Omnis autem privatio est in subjecto habili ad formam, quæ abest, recipiendam.

32. Infantes recens nati similiter non actu primo, sed tantum secundo carent: hoc est, nondum ἐνεργεία sermocinantur: hæc tamen δύναμιν obtinent, ut instrumentis loquelæ siccatis firmioribusque factis loqui possint. Pueros verò, qui ætate processerunt, non planè mutos Aristoteles pronunciat: sed tantum εἰς οὐκαποτέ τῆς γλωτῆς, linguæ impotentes, esse dicit. Quemadmodum enim reliqua membra, ob humiditatem, mollitiem, & laxitatem tūm nervorum, tūm musculorum regere nequeunt: sic neque linguam rectè gubernare valent. Quæ causa est, quod magnâ ex parte φελλίζωσι καὶ τραυλίζωνται, hoc est, balbutiant & linguâ, ut Gaza vertit, torti sint.

33. Gentes ἄσομοι, ἄφωνοι, καὶ ἀγλωτοῖ non homines, sed monstra sunt hominum. Imò Strabo eas in numero fabularum reponit. Neque id sanè immeritò. Si enim homines sunt, iis quoque dotibus præditæ sint oportet, quibus benignissima Natura humana speciem præ cæteris animalibus ornavit: ratione scil. &

oratio-



oratione. Si hoc, sequitur necessariò, & os, & vocem, & linguam  
iis esse. Ratio enim se ipsam explicare nequit: sed opus habet  
nunciā & interprete oratione. Oratio verò sine voce fieri non  
potest. Est enim hæc illius materia. Ubi autem oratio locum  
invenit, ibi quoque organa, quibus ea profertur, reperiuntur.

34. Os & loquela D E O O P T. M A X, in sacris tribuitur,  
non propriè & physicè, quia spiritus est: sed metaphoricè solum  
& à videntiā: quoniam essentiam & voluntatem suam, homi-  
nibus absconditam, in verbo suo revelavit. Loquitur D E V S, inqui-  
unt S. Patres, præcipue verò D. Augustinus & Gregorius, aut per se-  
metipsum: idq; modis ineffabilib;: aut per Creaturam.

35. Angeli non humano loquuntur modo: quia & ipsi es-  
sentiæ sunt spirituales, loquelæ organorū expertes. Si alloquuti  
sunt homines, alloquuti eos sunt non in formâ propriâ: sed ad  
tempus duntaxat, donec suâ legatione fungerentur, assumptâ.

36. Serpens, qui protoplastas in paradiſo fuit affatus, non  
propriis viribus: sed Diaboli, loquitus est: qui tamen ne ipse qui-  
dem eloquendi actionem, pro ut à nobis hoc in loco describitur,  
sibi vendicare potest propriam.

37. Exemplum asinæ Bileami singulare planè, extraordina-  
rium, & miraculosum fuit. Non enim asina propriis loquuta est  
viribus: sed virtute divinâ: quia textus N u m. 22. v. 28. dicit, D o-  
m i n u m o s asinæ aperuisse, asinamq; locutam esse. Quæ sanè  
locutio alia longè fuit ab humanâ: neq; aliud in istâ asinâ, quâm  
accommodatio quædam instrumentorum ad actionem, non edi-  
tam ab asinâ, sed à D E O per Angelum. Unde temporanea tan-  
tum fuit: neque asina amplius loquuta legitur.

38. Quod L i r i u s de bove loquente refert, prodigiosum fu-  
it, inquit C a m e r a r i u s cent. 3. op. subcif. c. 71. statuendūmque, aut bo-  
vem loquutum esse virtute divinâ, sicut asinam Bileami: aut sanè  
diabolum per bovem.

39. De lusciniis quæ narrat G e s n e r u s , quod scil. inter alia  
præcium quoddam futuri belli Smalcaldici ediderint, omniaq;;  
quæ paulò pòst evenerunt, velut præsagientes ac vaticinantes de-  
centarint, miraculosa fuerunt & portentosa, si facta. Nam & quæ-  
dam alia prodigia bellum illud antecesserunt.

40. Psit.



40. Psittaci, picæ, graculi, & aliarum quarundam avium loquela naturalis non est: sed coacta & imitatoria. Nam quas voces multoties audiverunt, & multo edoctæ sunt labore, linguâ tandem & faucibus exprimere conantur. Verùm quæ garriunt non intelligunt. Unde neque appositiè ad interrogata respondent: sed quæ memoriâ tenent, effutiunt: sive ad rem faciant, si-  
ve non.

41. DICES, Aristotelem tamen locis suprà citatis διάλεκτον & ἐρμηνείαν, interiorumq; animi affectuum mutuam communicationem avib. cōcedere: imò asseverare, aves etiam literas proferre: maximè eas, quibus lingua est lata, tenuis, mollis, libera atq; soluta. At literas proferre est loqui.

42. Respondemus dupliciter: I. largimur, aves & alia animalia, quæ vocalia, vocem articulatam edere, & per eam sensa animi sui significare. Negamus autem, vocem hanc propriè loquellam esse, & æquiparandam humanæ. Ratio est: quia & ab alio principio fluit: & non literis, sed aliis distincta est articulis: qui tamen non, perinde ut loquela hominis, exprimi possunt: præser-  
tim in tantâ animalium varietate: quorum species & voce, & articulis plurimum inter se discrepant.

43. Quodsi Aristotelis ρωτῷ pertinaciis quis adhærere, & articulatum brutorum sonum διάλεκτον καὶ ἐρμηνείαν appellare velit: per nos sanè hoc ei licebit: dummodò concedat, loquellam esse multis, quod ajunt, parasangis ab humanâ distantem: & omnino talem, quæ ὄμωνύμως, analogicè & metaphoricè loquela dici mereatur. Esse enim non modò φωνὴν, sed etiam διάλεκτον meta-  
phoricam, quæ καθ' ὄμοιότητα sic appelletur, ex l. 2. de An. cap. 8, text.  
87. colligimus.

44. II. Distinguimus inter avium loquellam propriam atque nativam, quæ omnibus ejusdem speciei individuis est communis, & imitatoriam, quam nonnullæ earum ex sœpè reiteratâ pronunciatione & suggestione didicerunt. Quando ergo nativo utuntur sermone, nullas exprimunt literas: veluti observatio quotidiana docet: sed adhibent articulos nobis planè incognitos, quos ob id scribere non licet. Quando verò hominis imitantur loquellam, literas quidem pronunciant: sed non omnes: neque quas pro-

B nunci-

nunciant, eo modo ac ratione pronunciant, quâ homines. Causa est: quia non omnibus veræ locutionis organis sunt instructæ.

45. Lingua, labia & dentes locutionis quidem instrumenta sunt in hominibus: at non in brutis. In his enim aliis usibus inserviunt. Lingua perceptioni saporum, masticationi ciborum, & masticatorum deglutitioni. Labia ciborum apprehensioni, &c, ut *Aristoteles* 2. part. an. c. 16. vult, defensioni & custodiæ dentium. Dentes comminutioni alimentorum, defensioni contra injuriam & vim externam, ne bruta lœdantur ab aliis; & invasioni, ut invadant & aggrediantur alia: qualia sunt, quæ ex feris carnivora: teste eodem *Philosopho* l. 3. part. an. I. Solet enim natura, inquit idem 2. part. an. 16 & 3. part. an. I. una parte ad plurimum quandoque actionum exercititia uti.

46. Quæ de usu linguæ, labiorum & dentium in brutis dicimus, suo calculo dictus confirmat *Aristoteles*: ac propterea cùm hæ partes non formandæ orationi: sed aliis officiis præstandis dicatae sint, etiam aliter longè, quâm in homine, fabrefactas libris modò allegatis c. 16. 17. & I. monet.

47. Rationalia esse bruta pernegamus. Ratio enim soli homini à Conditore concessa, tanquam specifica forma. Hinc illud *Regii Psalmis* psalm. 32. v. 9. nolite fieri sicut mulus & equus, quibus non est intellectus. Hic enim per synecdochēn speciei pro genere mulus & equus brutum animal notant. Hinc illud πολυθεύλαντος *Aristotelis* l. 4. part. an. c. 10. Solus homo inter animantia erecto incedit corpore: quoniam ejus natura atque substantia divina est. Officium autem divini, est intelligere & sapere.

48. Solertes brutorum actiones, & mirabilia opera, quæ nonnulla ex iis conficiunt, non à ratione: sed vel ab instinctu naturæ: vel assuefactione: vel imaginatione profiscuntur. Hæc enim quò est nobilior & excellentior in brutis, eò etiam rationi viciniora edit ἐργάματα.

49. An Tiresias, Melampus & Apollonius brutorum intellexerint colloquia, dubitari posset. Est enim infinita penè eorum varietas: & quælibet species peculiares suæ vocis habet articulos. Præterea *Plinius* l. 10. c. 49. refert, docuisse Democritum, ex confuso quarundam avium sanguine gigni serpentem, quem quisquis

quis ederit, alitum collocutiones intellecturus sit. Id quod tamen vel magicum, vel fabulosum videtur. Unde idem *Plinius l. 29. cap. 4.* scribit, Democritum ad intelligendos avium sermones monstrâ ex anguis confecisse.

50. Non dubitamus tamen, quin assiduâ cohabitatione, & observatione diligentia aliqua vocis brutorum, si non distincta & perfecta; attamen confusa cognitio comparari queat. Habent enim & bruta suos affectus: ac pro eorum varietate varias formare voces solent, quibus eos exprimant: quas haud obscurè intelligunt, & quid sibi velint, perspiciunt, qui bruta tractant: ut venatores, aucipes, pastores, stabularii, & hujus furfuris alii.

51. Antequam ad CAVSAM FORMALEM pergamus, bina solvere lubet problemata. Cum enim probatum jam sit, soli homini loquela competere, quæri primum posset, quo ergo æta. tis tempore vocem articulare incipiat? Deinde, cum non statim loquatur perfectè: sed quasi per gradus ad perfectionem ascendet, quo ordine progrediatur?

52. Ad 1. respondetur: certum & definitum tempus non esse. Alii enim temporius: alii tardius articulatam edere vocem incipiunt. Temporius illi, qui calidi sunt & siccii: tardius his contrarii. Experientia tamen docuit, & *Plinius l. 11. c. 37.* notavit, pueros non prius articulatum affectare sonum, quam ossa syncipitis induruerint: id quod ferè mensæ ætatis 12. aut 14. fieri solet.

53. Sciendum enim ex *Arist. l. 7. hist. an c. 10.* brutis quidem omnia ossa jam inde à nativitate provenire perfecta: pueris autem synciput molle esse, seroq; durari.

54. Hujus namq; pars anterior, ubi sutura sagittalis cum coronali sociatur, membranosa est: & propter mollitiem foveam quandam format, quam aliqui *Fontanellam*, quod ibi cauteria inurantur: barbari, ut Falloppius monet, à madore & pulsu, *fontem pulsatilem*: Germani, velut Coiterus notat, *Foliolum* appellant. Sed, uti dictum, induratur paulatim: & quidem tardius, quam reliqua ossa cranii.

55. Ad 2. dicimus, cum loquela ex literis, syllabis, dictiōnibus, & oratione, sive dictionibus conjunctis constet, hominem recens natum ferè vocem tantum, quam vagitum appellamus,

B 2 pro-

promere. Deinde literas aliquot formare : prius quidem faciliores : utpote vocales : posteà verò difficiliores : nimirum consonantes. Tertiò consonantes sensim jungere vocalibus, & syllabas exprimere : primùm quidem eas, quæ pronunciantur facilius : mox hisce contrarias. Quartò syllabas copulare & dictiones proferre : 1. dissyllabas : 2. trissyllabas : 3. polysyllabas : idque ferè , cùm factus anniculus. Quintò dictiones conjungere & orationem confidere : ac primùm quidem simplicem ex nomine & verbo : deinde cum syncategorematis, h. e. iis orationis partibus, quæ indeclinabiles dicuntur. Has autem literas, syllabas & dictiones ob humiditatem , laxitatem & mollitatem nervorum ac muscularum linguae, faucium, & labiorum, primùm proferre imperfectè & corruptè : ætatis verò progressu, cùm hæ partes sicciores firmioresq; factæ , pleniùs atq; perfectiùs.

56. NUNC AD FORMAM : in quâ de definitione. De differentiis enim nihil dicere placet: quia sunt paucæ, & omnibus notæ.

57. Definitur autem locutio à variis variè. A *Valleſio* cogitationum significatio, sive conceptuum mentis expressio. c. 3. *sacr. philos.* A *Scaligero* animi declaratio : *exerc. 256.* A *Galen* vox significans, profecta à mente & ratione : 2. *de plac. 5.* Ab *Aristotele* vocis per linguam explanatio, sive articulatio : 4. *hist. an. c. 9.* A *quibusdam modernioribus* sensorum animi per linguam facta enunciatio. Item operatio, quâ homo res conceptas per voces articulatas aliis indicat. Præterea, ordo, sive contextus vocum articulatarum, quibus res conceptæ proferuntur. Quæ definitiones in eo differre interfese videntur: quod aliæ solum finem & usum locutionis : aliæ finem & efficientem principalem : aliæ formam & organum primarium : aliæ finem & organum istud exprimant.

58. Posset forsitan (salvo tamen rectius sentientium iudicio) etiam hunc in modum definiri: Locutio est articulatio vocis, facta ab animâ per instrumenta σιαλεκτικὰ, ἡγρηνευτικὰ, ut conceptus, sive cogitationes mentis humanæ, exprimantur & significantur.

59. In hâc enim definitione omnes causæ continentur.  
I. *Forma*, articulatio. II. *Materia* ex qua vox. Materia circa quam, mentis

mentis conceptus. Materia in quâ, Homo. III. *Efficiens*: & illa quidem partim principalis, Anima: partim instrumentalis, organa ēρμηνευτικά. IV. *Finis*, enunciatio νομάτων: quorum revelatio hominibus est necessaria: quia solus Deus καρδιογνώσκει.

60. Intelligitur autem per διάρθρωσιν, articulationem, nil aliud, quām affectio quādam voci adveniens. Hæc verò est distinctio, intersectio, sive intercisiō quādam vocis. Vox enim naturā suā indistincta est & uniformis.

61. Si roges, quidnam vocem distinguat, & quasi intersecat? Respondemus ex l. 4. hist. an. cap. 9. & scđt. II. probl. 60. literas hoc facere. Verū non scriptas, pictas, aut sculptas: ( hæc enim sunt artificiales: ) sed ore prolatas: quæ naturales: ratio est: quia formantur à diversis faucium, linguae, & labiorum motibus: imò nil aliud sunt, quām harum partium motus. Iis ergò prolatis, & voci additis, statim vocis uniformitas tollitur.

62. Quemadmodum enim fistulæ, si aëris insuffletur, sonum continuum, indistinctum, & uniformem edunt: foraminibus vero motu digitorum modò apertis, modò occlusis, articulatum, & quasi fractum atque intersectum sonant: sic facta per musculos thoracicos exufflatione, & spiritu vi quadam per rimulam laryngis eliso atque exploso, vox emititur unisona & indiscreta: distincta verò & articulata, si motus faucium, linguae, & labiorum accedat, & literas proferat.

63. Articuli namque vocis literæ sunt: vocales & consonantes: iisque omnem confici locutionem, author est Aristoteles l. 4. hist. an. 9. & l. 2. part. an. c. 16. & 17.

64. Utitur autem Aristoteles διαρθρώσεως, articulationis, voce in definitione, eleganti metaphorā ab articulis desumptā.

65. Ut enim articuli nodi sunt, ossium continuationem intercipientes: sic loquela vox est intercepta: non uniformis & continuata. Rursus quemadmodum per articulos ossa separata conjunguntur, ut continuatā serie procedant: ita vox articulata, quantumvis multipliciter divisa sit & fracta, continuata tamen fluit, ut simul juncta & copulata esse videatur. Denique sicuti διάρθρωσις ejusmodi est apud Galenum l. de oss. ad Tyron, c. i. σύνθεσις,

B 3                    quæ

quæ motum habet evidentem: sic loquela vario faucium, linguae,  
& labiorum motu perficitur. *Aquapend. l. de Locut. cap. 2. & l. de  
loq. brutor. cap. 1.*

66. Ex his duorum *ζητημάτων* solutio patet. I. cur tanta  
sit apud homines idiomatum varietas? II. quamobrem bruta,  
quæ ejusdem speciei sunt, se invicem confabulantia assequantur:  
homo autem alterius gentis hominem minimè intelligat?

67. Etenim prioris quæsiti causa est; quia locutionis articuli literæ sunt, quæ naturales quidem, & apud omnes nationes eadem, iisdemq; proferuntur instrumentis: at diversa est articulorum istorum, sive literarum compositio: unde diversæ etiam syllabæ, dictiones, & orationes resultant. Hæc enim compositio arbitraria est: literarum verò pronunciatio naturalis.

68. Causam quidem hujus varietatis aliam nos S. Literæ docent *Genes. ii.* Verum cùm ea ad Theologiam pertineat, eam hīc non attingimus.

69. Posterioris verò ratio est: quia confabulatio brutorum tota naturalis est, & semper eadem: non tantum quo ad articulos: qui quidem literæ non sunt: sed alii, nobis *ἄγνωσοι καὶ ἀρρένοι*: verum etiam quo ad articulorum compositionem. Hominum verò locutio naturalis quidem est, respectu articulorum, hoc est, literarum: arbitraria verò & in voluntate nostrâ posita, respectu conjunctionis articulorum. Alio siquidem modo literas componunt Germani, alio Galli, alio Itali, alio gentes aliæ. Ex quo necessariò diversa vocabula, & ex illis sociatis diversa quoque oratio consequitur.

70. ACCEDAMVS AD CAVSAM EFFICIENTEM:  
quæ duplex: altera incorporea, quæ principalis: altera corporea,  
quæ instrumentalis.

71. Illa est Anima hominis: hæc organa locutioni destinata.

72. Est namque locutio actio talis, ad quam duæ distinctæ *ἐνέργειαι* concurrunt: una animi: altera corporis. Animus est dictator intus loquens: organa enunciant & proferunt, ut fideles nuncii atq; interpretes.

73. Spectantur autem in locutione duo; articulatio vocis,  
quæ

quæ fit motu organorum *expinguuntur*, quando literas pronunciant, syllabas formant, & dictiones exprimunt: & contenta, sive signata: quæ sunt sensa, cogitata & conceptus mentis. Motus cœla est facultas animi *κινητικὴ*: contentorum *διανοιῶν*.

74. Instrumentum locutionis genere unum est: specie varium & multiplex.

75. Genericum, os est. Unde *Author lib. de anat. vivorum* os universale vas organorum loquelæ appellat. Per os enim loquimur: & ore clauso, aut obturato, cessat locutio. Huc accedit, quod locutio postrema sit illarum actionum, quæ ab expiratione fiunt: sitque opus, quod voci proximè succedit: teste *Galen l. 4. loc. aff. cap. 6.* Id ergo illius est organum, quod vocis proximè sequitur. Sequitur autem os: quod productam à laryngi rimbula vocem, tanquam rudem informemque materiam, excipit, eique formam & perfectionem ultimam, ipsam scil. articulationem, imponit, ut certi aliquid significet.

76. Speciale, uti dictum, varium est: quemadmodum ex Aristot. 4. hist. an. c. 9. l. 2. part. an. 16. & 17. & l. 3. part. an. c. i. nec non Galen. l. 4. loc. aff. 6. & com. 2. in 1. Epid. t. 78. colligitur. Omnia autem memoriæ causâ hoc disticho comprehensa videntur:

*Instrumenta novem sunt: fauces, lingua, palatum,  
Quatuor & dentes, & duo labra simul.*

77. Pro gutture, quod antiquus habet versiculus, fauces supponimus. Guttur enim, sive aspera arteria, non loquelæ, sed vocis inarticulatae est instrumentum.

78. CETERUM ut causæ lœsæ locutionis melius cognosci, & curatio felicius institui possit, nō tantum proxima & propria loquæ organa, quæ in ore continentur: sed etiam remota & communia; ad ejus tamen formationem maximè necessaria, recensebimus: prætermisis iis, quæ vocem efficere *precedenti* disp. à th. 63. usq; ad th. 74. diximus: ne actum agamus.

79. Sunt verò organa hæc quintuplicia. Nam vel virtutem suppeditant, ut locutio fieri possit: vel hanc virtutem ad convenientē locū deducunt: vel deductā recipiunt & movent: vel movētur: vel immota persistunt, seseq; instar fulcrorum & sustentaculorum habent, ut ad ipsa innixus, sive appulsus fieri queat.

80. In-



80. Instrumentum virtutem suppeditans est Cerebrum. Est enim locutio actio voluntaria, quæ à nobis institui & intermit-  
ti: citari & tardari: crebior & rarer fieri potest. Ideoq; influxu  
facultatis animalis, quem cerebrum confert, opus habet. Unde  
in apoplexiâ, & veterosis affectibus aliis, impedita animalis vir-  
tutis influentiâ, muti homines evadunt. Auctor enim inquit  
*Gal. comm. 2. in 1. prophet. t. 58. & comm. 3. in 3. Epid. t. 74.* solius hominis  
vocem, quâ inter nos colloquimur, ipsum scil. sermonem, Græcis  
significat.

81. Instrumenta hanc virtutem ad propria locutionis or-  
gana deducentia sunt nervi faucium, linguæ, & labiorum. Nervi  
*faucium* propagines sunt sextæ conjugationis cerebri: *Gal. l. de diff.*  
*nerv. ad Tyron. cap. 10.* Nervi *linguæ*, non quâ gustus est instrumentum:  
(sic enim nervos accipit à tertio & quarto pari) sed quâ musculis  
ad loquèlam, masticationem, & deglutitionem præstandam, instru-  
cta, à septimâ combinatione proveniunt: *Gal. ibid. c. 8.* Nervi *labio-*  
*rum*, & *muscularum labia moventium*, tertiae *συζυγίας* funiculi sunt:  
*Gal. ibid. c. 5.* Musculus tamen ille latus, qui subcutaneus colli, quiq;  
labiis & buccis communis, nervos etiam à secundâ conjugatione  
vertebrarum cervicis sortitur: *Gal. ibid. c. 12.* Item à tertîâ: *cap. 13. de-*  
niq; & à quartâ: *c. 14.*

82. Instrumenta adductam facultatem recipientia & mo-  
ventia sunt musculi faucium, linguæ, & labiorum. De *musculis fau-*  
*cium* inter Anatomicos non convenit. Galenus descripsit utrinque  
unum: *l. de diff. musc. cap. 15.* Vesalius eos prætermisit. Fallopius tria  
paria utrinque proposuit. Laurentius, quem alii sequuntur, quatuor:  
ex quibus 2. fauces dilatant: 2. verò constringunt. *Musculi lin-*  
*guæ* duplices sunt: alii linguæ & ossi hyoedì communes: paria 4.  
alii linguæ proprii: paria 5. quorum ope sursum, extrorsum, in-  
trorsum, & ad latera movetur. *Musculi labiorum* itidem duplices  
sunt: quidam labiis & buccis communes: utrinq; 2. quidam pro-  
prii: & vel labio superiori; utrinq; 2. vel inferiori: utrinq; unus.  
Qui labia in diversas agunt partes: sursum, deorsum, sinistrorsum,  
& retrorsum.

83. Instrumenta quæ moventur, sunt lingua & labia.

84. Instrumenta quæ immota persistunt, sunt palatum &

4. den-

4. dentes superiores, qui incisorii, anteriores, primores, lati, & ri-  
forii nominantur: ab officio, situ, tempore eruptionis, figurâ, &  
quòd ridentibus nobis conspiciantur.

85. Ex his verò instrumentis principalissimum lingua vi-  
detur. Unde *Hippocrates l. de carnib.* ei articulationem vocis tribuit.  
Cui *Aristoteles l. 4. hist. an. 9.* subscribit, inquiens, locutionem esse  
vocis per linguam διάρθρωσιν. Et *Galenus l. 4. loc. aff. 6.* primas illi con-  
cedit inter organa sermonis: ac propterea eam *comm. i. in i. prorhet.*  
*tex. 3. naū ἐξοχὴν* instrumentum διαλεκτικὸν vocat: quod ipsum quo  
que *Euripides* fecisse legitur, qui linguam ἀγγελον λόγων, nunciam  
sermonis, appellavit.

86. Neq; id sanè immeritò: I. quia lingua maximā literarū  
partem pronunciat: ut infrà patebit. Labia verò, quibus *Aristotele-*  
*les loc. cit. & l. 2. part. an. cap. 16.* multùm quoq; in loquendo tri-  
buit, 4. tantùm literas exprimunt, B. F. M. & P. quæ tamen lin-  
guâ indigere videntur: quia nulla consonans sine vocali proferri  
potest. Ad vocalium autem productionem linguam necessariam  
esse paulò pòst ostendemus.

87. II. Quoniam lingua ad locutionis actum exercendum  
omnium oris partium est aptissima. Est enim in spiritûs viâ pos-  
ita, vocisq; organo, laryngi, superposita, contigua, & firmiter alli-  
gata: ut vocem à larynge formatam statim excipiat, & variis modis  
flectat, frangat, atq; articulet. Est deinde nervis insignibus, mu-  
sculis plurimis, corpore raro, laxo, molli, fungoso, levi, libero &  
absoluto prædita, ut celerrimè & velocissimè, anguillæ & murenae  
in modum, moveri, & ad quamvis oris partem applicari possit. Quo  
nomine etiam moles ejus ad amissim ori adaptatur. Talis autem  
motus ad loqueland cum primis requiritur: quia ad literarum pro-  
nunciationem varii linguae appulsus ad varias partes, iiq; prompti  
atque expediti, ut sensa animi celeriter promi queant, necessarii  
sunt.

88. Atq; hæc causa est, quòd remotis labiis, homo adhuc  
loquatur, omnesq; dictiones, iis solùm exceptis, quæ B. F. M. &  
P. continent, proferat: lingua verò ablatâ, protinus mutus evadat.  
Hæc quoq; causa est, quòd plerorumq; vitiorum orationis causæ  
in lingua deprehendantur.

89. Dentes & palatum tantum usum aliquem linguæ in literarum pronunciatione præbent: quatenus corpora sunt immobilia, ad quæ linguæ sunt appulsus. Unde edentulos, & quibus palatum exesum, malè loqui comperimus.

90. *HACTENVS de Efficiente principali & organicâ.* Videamus modò, quomodo utraq; ad actum locutionis concurrat.

91. Modus generalis est iste. Dictum fuit, locutionem esse mentis interpretem. Mens ergò *vomata* aliis revelare intendens, primùm movet appetitum intellectivum, qui dicitur voluntas. Hæc dictantem rationem sequitur, & ad actionem excitat organa, quæ edendæ voci sunt dicata. Vocem tertio voluntatis imperio articulant instrumenta *dialectinæ*, quæ in ore continentur.

92. Specialis in singularum literarum pronunciatione consistit. Locutio enim est patefactio rerum animo conceptarum. Rerum symbola sunt dictiones. Dictiones constant ex syllabis: syllabæ ex literis. Edifferendum ergò, quomodo literæ formentur: vocales pariter atq; consonantes. His enim omnem absolvit locutionem author est *Philosophus 4. hist. an. 9.*

93. Omnes quidem uno modo formantur genericō: motu scil. locali partium oris: sed specie diverso: quia vocales & consonantes specie inter se differunt.

94. Est autem locus generationis vocalium ea oris pars, quæ φάγηξ communiter: à Galeno *l. de diss. musc. c. 15. iσθμος*: ab Hippocrate *l. de dentit. iσθμιον* dicitur: metaphorā ab isthmo, qui angustus est longusq; terræ tractus inter duo maria, petitā. Latini faucium nomine utuntur. Cōspiciuntur ore aperto & linguā depresso: in iisq; foramina narium in os descendantia, columella, tonsillæ, radix linguæ, principiumque gulæ & laryngis cum epiglottide observantur.

95. Effectores seu formatores vocalium sunt musculi faucium & basis, sive radix linguæ.

96. Modus, quo formantur, est harum partium motus: sed levis atq; exiguus, & sine vero perfectoq; appulsi. Annuit quidem lingua, inquit *Clarissimus Aquapendens*, Præceptor noster venerandus, appulsum: perfectum autem minimè molitur.

Porrò



97. Porrò quam figuram fauces in singularum vocalium prolatione motu suo acquirant, obscurum valdè est, & explicatu difficile.

98. Videtur tamen cavitas earum in enunciatione vocalis A. fieri major & amplior, ore hiante, sed figuram, quam natura dedit, servante. In E. ovalem quasi nancisci figuram secundum transversum. In I. acuminatam; quia fauces quodammodo constringuntur. In O. magis rotundam. In V. profundiorem: labris productis & coëuntibus.

99. Contra hunc generationis locum Aristotelis posset objici authoritas, dicentis 4. hist. an. 9. vocales à voce & larynge: consonantes autem à lingua & labiis proferri.

100. Sed respondemus dupliciter. I. vocales proferri à voce, tanquam à materiâ: à larynge, tanquam ab efficiente remotâ: à pharyn- gis & laryngis sæpiissimè inter se confundi, unumq; pro altero usurpari. Id quod clarissimè ex adducto Aristotelis loco demonstrari potest.

101. Quod autem vocales non in larynge, propriè dicto, qui asperæ arteriæ caput est, singantur, inde liquet, quia vox & articulatio vociis distinctæ sunt actiones: ideoq; etiam distinctis eduntur instrumentis. Sed quemadmodum vox, tanquam materia, prior est articulatâ voce, quæ illius quasi forma est: sic etiam instrumentum vociis simplicis ante articulatæ situm esse decet.

102. Itaq; larynx est organum vocis: os locutionis. Et fauces quidem pronunciationis vocalium: reliqua verò oris pars, quæ fauces sequitur, consonantium: quoniam etiam vocales consonantibus simpliciores sunt, & naturâ priores.

103. Ex his apparet, formationem consonantium differre à vocalium loco generationis, instrumentis formantibus, & modo, quo formantur.

104. Nam locus generationis, uti jam dictum, ea est oris pars, quæ incipit à faucibus, & labiis terminatur.

105. Instrumenta formantia sunt lingua & labia: etiam Aristotele 4. hist. an. c. 9. authore.

106. Modus quo formantur, est quidem etiam motus loca-

C 2 lis,

lis, ut in prolatione vocalium : sed validus, qui fit cùm appulsu , si-  
ve illissoñe linguæ & labiorum.

107. Sunt autem linguæ appulsus varii : scil. ad palatum, ad  
partem linguæ subditam, ad genarum faciem internam, ad dentes  
utriusq; maxillæ, & ad utrūmq; labium. Varii quoq; labiorum  
sunt appulsus. Nam labium inferius vel firmatur ad superius, vel  
ad dentes maxillæ superioris, vel inferioris. Similiter superius la-  
bium vel applicatur ad inferius , vel ad alterutrius maxillæ  
dentes.

108. Præter hosce appulsus etiam dentium conspiuntur :  
cùm scil. dentes maxillæ inferioris ad superioris adducuntur.

109. Verùm non omnes locutioni & expressioni conso-  
nantium inserviunt : sed tantùm illi , qui fiunt sursum : ut linguæ  
ad palatum & dentes superiores : itemq; labii inferioris ad superi-  
us, aut dentes dictos : quemadmodum mox in formatione singu-  
larum consonantium declarabimus. Reliqui appulsus vel ad as-  
sumptionem, masticationem & deglutitionem ciborum : vel ad  
alios usus pertinent.

110.. Causa verò, cur ex tot appulsibus natura paucos , &  
eos solùm ad locutionem ordinârit, qui sursum fiunt, est : quia hi  
sunt facilimi, celerrimi, & maximè decori.

111. Decebat autem eos esse facilimos, ne cùm sæpè & mul-  
tùm homini lœquendum, organa statim defatigarentur. Nam quod  
cum labore, difficultate & vi quadam fit , naturam citò lassare &  
enervare solet. Celerrimos: ut motibus animi , qni sunt velocissi-  
mi, instrumentorum motus responderent, & conceptus illicet re-  
velarent. Deniq; decoros atque venustos: ut sensa nobilissimæ  
peneq; divinæ animæ facultatis, quæ soli homini concessa , cum  
gratia & suavitate proferrent.

112. Quòd verò tales sint, inde liquet : quia applicatione  
labii inferioris ad superius, facile, celeriter, & decorè , sine defor-  
matione oris, literas B. M. & P. proferimus.. Admotione ejusdem  
labii ad dentes superiores lit. F. Accommodatione linguæ ad pala-  
tum & dentes reliquas consonantes.

113. Alios verò appulsus natura vitavit : vel quia nullam  
formare consonantem possunt : vel quia turpes sunt & deformes:  
vel quia difficiles : vel quia tardi. Etenim

114. Etenim appulsus linguæ ad labium inferius, dentes infernos, partem linguæ subjectam, interiorem genarum superficiem, & maxillæ utriusq; latera, nullam omnino literam profert: quemadmodum nec dentiū ad dentes: ut quilibet in se ipso exprimi potest.

115. Appulsus verò linguæ ad labium superius aliquot quidem literas fingit, utpote C. D. L. N. S. & T. sed imperfectè, difficulter, & inconcinnè: quia necessum, ut lingua exeratur.

116. Appulsus linguæ ad dentes superos, qui incisorii, & has & lit. R. format: sed rursus imperfectè, ægrè, tardè & turpiter.

117. Appulsus dentium inferiorum ad labium supernum B. P. F. & M. pronunciat: verùm eo modo, quo jam dictum.

118. Relinquitur ergò, omnes consonantes facilè, veloci-  
ter, & decenter pronunciari à duabus oris partibus, quæ appulsum faciunt: linguâ & labio inferiore: & tribus, quæ appulsum suscipiunt atq; sustinent: palato, dentibus supernis, & labio superno.

119. Quæres, cùm pauci sint appulsus, locutioni utiles & congrui, quomodo tot támq; differentes consonantes in ore formari possint? Respondemus, fieri hoc tribus potissimum de causis:  
I. quia organorum appellantium, & appulsum excipientium re-  
giones, sive partes, sunt distinctæ: ita ut modò secundum hanc:  
modò secundum illam partem appellant & appulsum excipient.  
II. quia motus eorum sunt diversi: nunc leniores molioresque:  
nunc fortiores & vehementiores. III. quia lingua & labia diver-  
simodè figurantur: quemadmodum apparebit, si, quomodo sin-  
gulæ consonantes formentur, consideraverimus.

120. Nam B. P. & M. appulsi quidem labii inferioris ad su-  
perius efferuntur: sed diverso modo. B. quippe pronunciatur sum-  
mis labris, quæ antea leniter molliterq; comprimuntur, vocali  
hæsurum alioquin & ligatum sonum foras mittente, & vinculis  
quasi liberante. Est enim, ut & cæteræ mutæ, adeò impediti, & ob-  
scuri, aut nullius potius soni, ut irrito conatu laboret, dum exitum  
parat. Et niteretur quidem frustra, nisi vocalis subveniret, quæ ve-  
lut inclusum & vinclatum eriperet ac solveret. Quare labia in prin-  
cipio sunt conjuncta: sed vocali accedente rursus separantur. Idem

C 3 fit



*fit in P.* nisi quod labia comprimantur fortius, sonusq; extrudatur vehementius. *In M.* labia compressa manent, clausoq; ore quasi quidam mugitus intus editur. Unde *Lipsius* hanc literam mugientem appellat.

121. F. formatur, cum idem labium inferius dentibus superinis admoveatur. In prolatione vero haec partes conjunctae manent, & lene quoddam spiramen efflant.

122. In C. lingua latefecit & ampliatur, & antrorsum quasi fertur: firmaturq; ad extremitatem palati & interiorem dentium incisorum maxillæ superioris faciem, adeò ut aer cum quodam sibilo elidatur: idq; ob exitus angustiam.

123. In D. apex linguæ leniter eidem eorundem dentium faciei applicatur: sed vocali additâ ab ea iterum sejungitur. In T. idem accedit: sed appulsus linguæ ad dentes longè fortior est atque durior.

124. In G. media ferè linguæ pars ad medium palati accommodatur, sed leniter: unde propter angustiam exitus lene rursus spiramen egredi sentitur.

125. H. litera non est: propterea neq; in faucibus, neq; in reliqua oris parte singitur: sed effertur duntaxat per simplicem expirationem aeris.

126. In K. medietas linguæ ad medium palatum validè applicatur: linguæ quodammodo ampliatâ, & ore dilatato. Idem fit in Q. sed lingua nonihil arctatur, & rictus oris producitur atque contrahitur.

127. L. facilima & liquidissima est litera, & iudicio *Lipsii* suavitatis plena. Profertur apice linguæ ad palatum propè dentes firmato.

128. N. litera secundum *Lipsum* est tinniens: sicut M. mugiens. Pronunciatur linguæ mucrone palatum ad dentium anteriorum radices feriente.

129. R. asperima omnium literarum est, inquit Th. Beza: & canina vocata: quoniam canes irritati illam frendendo exprimere solent. Enunciatur linguâ ad palatum excitatâ propè dentes: summâ sui parte spiritum elisum vibrante, ictu quodam tremulo. Ut est naturæ impetuosa: ita & masculi roboris. Unde & firmatatem

tatem linguæ requirit. Hæc enim validè admodum ad extremitatem palati allidit. Quæ causa est, quod pueruli ob linguæ ἀνατολæ hanc literam formare nequeant. Neque tantum pueruli sed etiam quidam ex adultis. Scribit enim Cicero, non potuisse Demosthenem primam literam illius artis ( Rheticam putat:) proferre, quam profitebatur. Plutarchus refert, Alcibiaden pro lit. R. pronunciâsse lit, L. quo nomine ridetur ab Aristophane. Lipsius ait, etiā Scaligerum Patrem hoc vicio laborâsse.

130. S. sibulum anserum & serpentum repræsentat. Fingitur linguâ ad palati finem prope dentes levatâ. Cùm vero ibi lateat, angustumq; transitum exilienti aëri præbeat: fit, ut is cum simbolo quodam exeat.

131. X. litera duplex est: quemadmodum & Z. Illa ergo profertur ut CS. aut GS. Hæc ut TS.

132. Hæc de vocalium & consonantium formatione dicta sufficiant. Qui de rectâ & antiquâ pronunciatione erudiri avet, Lipsii, Beza, Scaligeri, Ceratini, Meckerchi, & aliorum hâc de re edita monumenta legat. Nostrum enim institutum tantum fuit, ostendere, quomodo ὡραὶ σιλετὶν se habeant in eâ literarum prolatione, quæ apud nos recepta est & usitata.

133. Supereft locutionis FINIS, qui refertur vel ad D E V M, vel ad proximum. Ad D E V M: ut ipsum invocemus, & ab eo omnia bona, cœlestia & terrestria, animum & corpus concernentia, petamus: debitâsq; ei pro concessis beneficiis agamus gratias. Ad proximū, in CHORO, FORO, & THORO. Per CHORVM intelligimus Ecclesiam & Scholam: in quâ docemus & discimus. In illâ divina: in hâc & divina & humana: liberalium scil. artium & disciplinarum studia. Per FORVM inaudimus Curiam, sive locum Justitiæ: in quo judicamus de præteritis, & deliberamus de futuris, ut salus promoveatur publica, & civilis hominum societas conservetur. Per THORVM vitam hominum privatam innuimus: in quâ rem curamus domesticam, & mercaturam, agriculturam atq; opicia exercemus. In his autem vitæ ordinibus nihil sine locutione præstari potest: estque finis illius partim τὸ τέλος simpliciter: partim verò τὸ τέλος τὸ τέλος hominis directus.

134. Dicamus modò aliquid de locutionis lectione. Læditur autem



tem tripliciter. Nam vel aboletur prorsus: vel minuitur: vel corrumptur & depravatur.

135. Causæ abolitæ locutionis latent vel in organis vocis, vel locutionis ipsius. Est enim vox loquela materia: ideoq; demptâ voce, tolli quoq; orationem contingit.

136. Quæ autem causæ ἀφωνίαν inducant, *disp. de voce postremis II. thes.* dictum fuit.

137. In propriis verò locutionis instrumentis vitia sunt plurima, ob quæ locutionis actus perit.

138. Primum autem vitia sese offerunt nervorum, qui in musculos linguæ, fauciumq; inseruntur: cùm scil. nervi læsi sunt in temperaturâ, unione, aut meatibus & porositatibus: refrigerati v. g. rupti, vel obstructi.

139. Deinde vitia faicum, cùm sunt præclusæ: uti accidit in quibusdam anginæ speciebus. Item tumores & inflammatio-nes tonsillarum insignes. Licet enim tonsillæ organa locutio-nis non sint: tumefactæ tamen fauces coarctant. Faucibus coarctatis vocalium pronunciatio fieri nequit: quia sunt formationis illarum locus. Sine vocalium autem prolatione nulla exprimi consonans neq; à linguâ, neq; à labiis potest.

140. Tertiò vitialinguæ: ut sunt ἀνγάτεια linguæ, de quâ *Hipp. aphor. 40. sect. 7.* Cujus species est ἀπάλυτις, cùm lingua resolu-ta: lingua amputatio, aut secundum totum, aut saltem secun-dum majorem partem: tumores magni, & in eam quidem molem auëti, ut lingua vix ore contineri queat. Cujus vitii illustre extat exemplum apud *Galen. l. 14. meth. med. c. 8.* deniq; vulnera & ulcera graviora, quæ motum linguæ impediunt.

141. Causæ diminutæ locutionis sunt vitia jam com-morata: sed minoræ leviora q; Huc pertinent & vitia labiorum: ut vulnera & mutilationes: oris ite tortura, quæ in spasmo cynico ob-servatur. Suprà quippe dictum fuit, appulsi labii inferioris ad superius pronunciari B. M. & P. appulsi vero labii inferioris ad dentes superos F. Itaq; labiis affectis, aut prorsus ablatis, hæ literæ proferri nequeunt: quo fit, ut multæ dictiones imperfectè enun-cientur.

142. Ad diminutam loquela referre licebit admodum tardam

tardam atq; difficilem. Ejus causæ sunt variæ: v. g. nimia linguæ crassities & gravitas: insignis ejusdem siccitas, vel ex calore febri- li, vel subjectarum partium, cordis potissimum, hepatis, & ven- triculi, calidis exhalationibus, vel alimentis falsis, acribus, aut plus justo aromatizatis, vel medicamentis vehementer calefacentibus & siccantibus, vel oratione longiore contracta. Adhæc scabrici- es, asperitas & fissura linguæ, ab incendio febrium ardentium pro- fecta. Muci & pituitæ linguæ adhærentis copia. Magna deni- que virium debilitatio in morbis, & vacuationibus, undecunq; & à quacunq; causâ factis.

143. Causæ depravatæ locutionis itidem multæ sunt: quia aliquot illius sunt species: nimirum *ἰσχυρωνία*, *linguæ hastantia*, sive *titubantia*, & *battarismus*: cùm quis primam, vel aliam syllabam cùm labore & difficultate repetere cogitur: vel, ut Arist. s. II. probl. 30. describit, *ἰσχυρωνία* est, ἀπὸ τῆς μὴ δύνασθαι ταχὺ συνάγει τὴν ἐτέραν συλλαβὴν πρὸς τὴν ἐτέραν, alteram syllabam alteri præproperè jungere non posse. II. *τραυλότης*, *τραύλωσις*, sive *τραυλισμὸς*, *balbu- ties*, cùm pro R pronunciatur L: aut R imperfectè solùm effer- tur: idq; cum ictu quasi tremulo. Gal. aph. 32. s. 6. scribit, *τραυλισμὸς* illud esse vitium, quo lingua non potest exquisitè eas proferre vo- ces, quæ T & R habent: cuiusmodi est hæc ipsa *τραυλὸς*, & simi- les aliæ: ut tremor, tristitia, trabs, truncus, trochus, traditio &c. Hinc illud Aristotelis s. II. probl. 30. *τραυλότης* est, τῷ γράμματός τινὶ μὴ κρατεῖν, καὶ τέτοιο τῇ τυχόντι: balbuties est, literam quandam exprimere non posse: eamq; non quainlibet, sed certam. III. *ψελ- λότης* καὶ *ψελλισμὸς*, blæsitas; quando non omnes literæ & syllabæ pronunciantur: sed quædam omittuntur: teste *eodem ibid.* *ψελλό- της* est, inquit, τῷ ἔξαιρεῖν το, οὐ γράμμα, οὐ συμελαβεῖν: prætermittere aliquid, scil. vel literam, vel syllabam.

144. Observandum autem, hasce voces sæpiùs inter se con- fundi, & tūm balbutiem, tūm blæsitatem pro quovis loquelæ vitio accipi: variè quoq; à variis describi. *Suidas* enim ait, *ψελλὸν* voca- ri, qui inarticulatè loquitur, ut vix intelligi possit. *Hesychius* docet, *ψελλὸν* appellari eum, qui crassiùs literam S pronunciat. *Aristoteles* etiam illum *ψελλὸν* nominat, qui ineptè loquitur & nugatur.

145. *Τραυλότητα* causas Galenus loco alleg. exponit. Prima  
D est

estimbecillitas linguae naturalis, aut etiam nervorum, quos lingua accipit à cerebro. Lingua enim in pronunciatione R & T validè apice suo inniti debet palato, propè dentes superiores. Hoc autem facere debilis lingua non potest. Quare T & R articulare nequit. Labitur ergo ad pronunciationem T & L.

146. *Secunda* est linguae brevitas: quam tamen causam dicit esse rariissimam.

147. *Tertia* linguae humiditas & mollities. Hæc enim firmiter inniti non potest. Unde pueri balbutiunt: & balbutiunt etiam ebrii: partim quia cerebrum multa humiditate est perfusum: partim quia ab ejus multitudine prægravatum.

148. *Quarta* siccitas & ariditas linguae: quam ob causam qui febrib. detinentur acutis & ardentibus, & quibus lingua inaruit, balbutire solent.

149. *Quinta* linguae defatigatio: idque propter diuturnū & continuum sermonem. Item virium totius corporis prostratio. Nam propter infirmitatē linguae non potest fortis fieri ejus ad palatum appulsus.

150. Ψελλότητη causæ, cùm scil. quædam literæ, aut syllabæ omittuntur, rursus sunt diversæ. I. nimia in loquendo festinatio. II. defectus dentium. III. mutilatio labiorum. IV. excessio palati. V. vitium aliquod linguae: idque vel in quantitate: cùm est justo longior aut brevior: latior aut angustior: vel in qualitate: cùm crassior, indecenter formata, aut ligata: quod vitium Græci ἀγκυλόγλωσσον: barbari filum, sive funiculum appellant. Id enim impedit, quò minus lingua undiq; fœse ori applicare possit: ex quo homines secundum Philosophi sententiam l. 4. hist. an. c. 9. non modò φέλλοι; sed etiam τρέπουλοι fiunt.

151. Ισχυροφωνίας quæ causa sit, dictu est difficile. Ex Aristotelis tamen sect. II. probl. 54. 57. & 63. collimus, quadruplicem esse: 1. imbecillitatem linguae & labiorum: 2. ligationem linguae, cùm libera atq; soluta non est: 3. calorem: 4. frigus.

152. Calorem autem ισχυροφωνίαν causari, h. e. facere, quò minus verba copulare, & continuam edere orationem possimus, problem. 63. iratorum exemplo probat. Hi enim præ caloris fervore

re

re adēd præcipites sunt in loquendo, ut sæpius impingant, & tanquam in salebris hæreant.

153. Frigus verò organorum ἐρμηνευτικῶν linguae hæsitantiae causam esse, ex eo planum facit, quia quibus illa refrigerata sunt, vel vino, vel continente oratione concalfacti, verba facilius conjungere valent. Intelligit autem Aristoteles per κατάψυξιν, refrigerationem, ut idem seipsum *probl. 54.* explicat, veluti quandam ἀποπληξίαν, h. e. stuporem & resolutionem à frigore profectam,

## COROLLARIA.

### I.

**C**ur qui surdi nascuntur, etiam muti sint? Causa est, quia locutio non naturā nobis inest, quemadmodum vox: sed discitur. At surdi dictiones, quib. homines in loquendo, seu significandis rebus utuntur, discere nequeunt. Est enim auditus juxta Philosophum I. de sensu cap. 2. disciplina sensus: quo qui carent, disciplina sunt expertes. Præter hanc causam Alexand. Aphrod. I. I. *probl. 133.* etiam aliam ex quoruudam Medicorum sententiā profert: quod scil. idem nervorum pars sit, cuius pars altera ad linguam, altera ad aures usque porrigitur: sicq; necesse sit, communem fieri affectionem. Verum quodnam sit illud par nervorum, quod cum lingua cōmunicet, ignoramus. Scimus equidem, quintam nervorum cerebri συζύγιαν, qua ἀντιστοιχία ramulos quosdam ad laryngis musculos mittere, ex quo secunda tūscula, cū aures profundiores expurgamus, oriatur. Nec ignoramus, combinationem septimam, qua motui linguae dicata est, surculos quosdam iisdem largiri muscularis laryngis: sed auribus & lingue communes esse nervos, hactenus neq; vidimus, neq; apud Anatomicos legimus.

### II.

An qui ex morbo surdescunt, necessariò muti fiant? Negativa veritatem palam facit experientia & ratio. Multos quippe surdos ex morbo factos videamus licet, qui tamen loquuntur. Cur? quia alia ὕγεια sunt auditus, alia locutionis. Itaq; salvis existentibus organis locutionis, loquitur homo, idiomā aliquod edictū, licet auditus per morbum fecerit jacturam. Atq; hac organorum ἐρμηνευτικῶν καὶ ἀντιστοιχῶν diversitas in causā est, quod neq; muti in morbis facti necessariò auditum amittant. Fidem faciunt paralytici, quib. loquela adempta. Audiunt enim, sed fari nequeunt.

### III.

Vrum omnibus, qui recens nati, ligata sit lingua, ut obstetrices neceſſe habeant, filum unguibus, aut forſice præcidere, & linguam solvere? Notorium est, ligamentum validum, idq; membranosum & latum, medio lingue corpori in omnibus hominibus subjectum esse. Notorium, ligamenti hujus ex-

D 2 tremor



tremo versus lingua mucronem, funiculum ad natum esse, quem lingue vocant frenulum. Notorium denique, frenulum istud in quibusdam usque ad linguæ extremum, sive apicem, extendi, sicq; linguam ligari, ut & suctioni in infantia, & locutioni in reliquis aetatibus, ni removatur, sit impedimento. Falsum autem, eam in omnibus hoc modo ligatam esse. Testem producimus autoſtichus. In testimonium quoq; rationem vocamus, quæ docet, hanc linguæ ligaturam planè præter naturam esse: cum suctioni & locutioni officiat. Atqui natura, inquit Aristot. 2. de part. an. c. 14. semper melioris rei author est. Et absurdum sane est, dicere, naturam, in qua Galenus comm. lib. tragiœdias, providentiam sapientiam, justitiam, robur atq; potentiam, artificium deniq; singulare vehementer celebrat, reliquas omnes particulas, prout decet, formare: solam vero linguam, cuius tamen actiones & πρᾶσι τὸ εἶναι hominis spectant, p. n. Vinctam ligatamq; producere.

#### IV.

Quæ causa, quod homines septentrionalis, ac potissimum nostri Germani, asperius, durius & cum vehementia quâdam atq; impetu loquantur, & P pro B: F pro V: T pro D: C pro G pronunciant? Quidam putarunt, hoc provenire ex naturâ regionis, quæ respectu regionum orientalium & meridionalium, aspera, dura, & horrida: & idiomatis proprietate, quod iudicio Caroli V. Imp. militare, & minax. Sed verior forsitan causa est, διδαχὴ, οὐκ οὐσία. Διδαχὴ: quia sic quoq; preceptores & informatores nostri loquuntur, quos imitamur. Εθος: quoniam sic pronunciare à teneris, quod ajunt, unguiculis consuevimus, secuti eos, quibuscum versamur. Φύσις: quia septentrionales nativo calore abundant: teste Galeno l. 2. de temperam. cap. 6. Cujus causâ non modo robusti sunt: quia secundum Aristot. pro l. 32. sect. 11. vires in calore posita: sed etiam valide respirant, aeremq; inspiratum fortiter exuffant, magnam vocem edunt, & quia linguae robore pollent, robustiores quoq; literas, h.e. eas, quæ vehementi spiritus impetu formantur, & ad quarum pronunciationē validior tūm lingua, tūm ἐκφύσησis requiritur, eligunt ac proferunt.

#### V.

Vtrum παρόδμια, sive tonsillæ & amygdalæ, locutionis organa sint? Valde per accidens: nec aliâ ratione, quam quod salivali humiditate linguâ, primarium instrumentum è quievit in corpore, perfundant. Arefacta quippe lingua ad motum tarda est & pigra: ideoq; literas promptè proferre nequit: quemadmodum in febribus ardentibus, & viscerum inflammationibus experimur.

#### VI.

Sitne vuula, quæ & columella, & gurgulio dicuntur, pro locutionis organo habenda? Columbus tueretur affirmatiā: & eos, quibus est exesa, crociare potius, quam humano more loqui afferit. Verum contrarium docet experientia. Scribit enim Fallopius, multos se novisse, quibus vuula sine detremento loquela exesa.

FINIS.

Cf 133

(x 260 9941)

VD17

Aus dem Nachlasse  
des  
**Geh. M.-R. Prof. Dr. Ernst Blasius**  
der Universitäts-Bibliothek  
geschenkt  
von seinem Sohne  
Dr. med. Heinrich Blasius in Berlin.



